

nimodo erit, & sicut pater, & filius. Arist. verò in 7. meta. vario loquens sermone, ponit potentiam actiuam in materia in t. 3 I. & postea videtur concedere, ipsam posse se mouere, vt in his, quæ sunt absque semine: tandem in eius potentia ponit formas; & omnes Peripatetici formas è materie sine educi volunt, non autem à mouente dari. Sed non fingent profectò modum, quo in eo, quod non est quid, nec quale, nec quantum, omnia hæc insint, omnesq; formæ, & quo ab agentibus mota materia, & percussa parturiat formas, & si est informis quomodo dat formas, & est in potentia receptiua, non datiuua formarum. recipit ergò ab alio formas, & ipsa largitur, & mirum si anima indè trahatur, & ex ignobilissimo nobilissimum. & videmus ad sensum, quòd aquæ, quæ Peripateticis est fingenda, calor ab igne indatur, & nõ de posse eius educatur, nam non potest forma educi, nisi corrumpatur regnans contraria. & si dicatur, calorem illum non educi, sed ab extraneis, igitur quælibet forma de foris veniet: nam quem impressit calor ignis in aqua, augès illum facit aquam ignem & manifestè è ab extraneis, igitur dat formam substantialem, qui est calor alijs Peripateticis, vt nobis, vel aliam occultam, nam dans formam est, quod dat proprietates, & cõsequentia eius. Item principia non sunt ex alijs, vt dicitur 1. phy. quomodo ergò formæ, quod est actiuum principium sit ex materia? Item principium non interit, nec generatur, arguit Alex. teste Simpl. 1. phy. t. 71. teste Platone. respondet, quòd nec materia, nec forma gignitur, sed compositum ex his. & hæc est sententia Arist. & Auerr. in 12. metaph. t. 12. & in 7. t. 26. & seq. Sed contra Alex. arguit Simpl. non videns, quòd Deo suo Aristoteli contradicat. quomodo, inquit, quod non est, & postea est, fieri non dicatur, & id, quod prius est, & postea non est, interire non asseratur? Item quomodo cum compositum dicamus corrumpi, quia forma pellitur, cum non subsistat post expulsionem, sed potius abeat in non ens, tale nunquam est forma, quippè quæ seungi nequeat, & ipsamet non interiret, si solum compositum interire diceretur? item quomodo si est incorruptibilis, nõ est sempiterna? ex quibus patet apud Simpl. perse gigni formam, ac corrumpi, igitur cum nulla pars formæ sit in materia, omnis generatio erit creatio, vel forma non educitur de potentia materie, & si sic est, non erit principium, cum fiat ab alio. nec dicant indiuidualem corrumpi non specificam, species enim in mente est non in re, vbi sit generatio, male igitur respondet Simpl. sic. At quòd formæ non sint in potentia materie, inferius probabitur magis, dum aduersus modernum Sciolum disputabimus. Igitur si forma est principium, sit in elementis, & ponantur formæ agentes in primis corporibus, & in ceteris ab his diffusæ, & hoc non potentes scire, de formis varia dixere homines. vnde Auic. posuit colcodeam darricem formarum. Themist. animam mundi. Alex. intellectum agentem, vt sibi imponit, & cum his Alpharabius. contra hos est Auerroës & Antonius

R. Alex.

ratio Simp.
contra Alex.

7. metaph.

Andræ